



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Votu[m] III. quoad obligationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

Qui vouet absolutè religiosum esse, solum vouet ingressum. additum Nou. cap. 12. num. 47. 49.

VOTVM III.

Quoad obligationem.

Qui emisit votum non ingrediendi talem domum, ad euitandam occasionem peccati, cessante occasione, non obligatur voto. cap. 12. num. 28.

Votum ob malum finem factum, non obligat. num. 30.

Votum filiorum familiars à parentibus irritatum, vel votum religiosorum à suis praelatis irritatum non obligat. num. 25.

Votum de se obligat sub mortali. nu. 26. Solum propositum faciendi aliquid, non est votum, nec obligat etiam si quis induat habitum religionis. num. 26. corol. 6.

Votum factum sine animo adimplendi, validum est & obligatorium: secus si verbo tenus promitteret absque animo se obligandi. num. 27. & 38.

Qui vouet animo se obligandi & non adimplendi, peccat, & qui non adimplet votum factum animo vouendi, & non adimplendi, bis peccat. num. 38.

Votum

Votum solemne magis obligat quam simplex: atque votum magis obligat quam iuramentum. num. 31. 32.

Obligatio voti non tollitur, eo quod non adimpleatur propter eius fractionem. n. 32.

Qui violat votum factum, de rebus aliis preceptis, committit duplex peccatum. num. 34.

Votum non committendi tale vel tale veniale, obligat sub veniali: secus de mortali, quod quidem obligat sub mort. n. 65.

Violare votum factum de rebus aliis preceptis, est circumstantia necessario confitenda, etiam si fuerit votum de non peccando in genere. num. 34.

Votum factum de re, quæ ex natura sua est contra consilium, sed ob aliquam circumstantiam est bona, obligat. num. 36.

Peccat qui vouet aliquid sciens se non posse adimplere. num. 38.

Non manet quis liber ab obligatione voti, propter illa omnia superuenientia voto iam emisso, quæ si à principio accidissent, non remisisset votum. num. 39. & cap. 18. num. 9.

Qui violat votum, peccat toties quoties illud violat. cap. 12. num. 39.

Qui non potest adimplere votum in totum, tenetur in partem, quam potest. nu. 39.

Votum

Votum peregrinandi ad Ierusalem, bufonem ore ferendo, valet, ac obligat quoad peregrinationem: non tamen quoad circumstantiam ferendi bufonem. num. 43.

Qui vouit castitatem, si contrahat, & consummet, tenetur nõ petere debitum, & mortuo coniuge non contrahere. num. 39.

Quæ vouit virginitatem, & patitur se corrumpi, tenetur deinde seruare votum: secus si eo animo vouit, vt virginitate semel amissa non teneretur vltcrius ad castitatem. nu. 43. §. 14.

Peccat, qui non implet votum tempore illo, pro quo vouit, vel statim, vel intra certum tempus. Quòd si nullum tempus præfinit, non peccat, quamdiu conscientia non remordet esse in mora. num. 41. cap. 12.

Peccat, qui faciens votum Conditionatum, impedit conditionem, & non adimplet. num. 42. 43.

Qui vouet aliquid, si præseruaretur ab aliquo peccato, & non præseruatur, tunc tenetur adimplere votum, quando non facit, quod fecisset ad se præseruandum, vel quando peccat, ne teneatur voto. num. 42.

Vota pœnalia, & cõditionalia posita, conditione obligant. num. 43. §. 12. Et votum, de opere pio, si susceperit filium de concubina, obligat. §. 14.

Qui

Qui vouet non nubere, non vouet continentiam, & qui vouet continentiam, tenetur non contrahere matrimonium. nu. 43. §. 14.

Peccat mort. qui vouet ob malum finem. num. 43. §. 15.

Qui cōtra simplex votum castitatis contraxit matrimonium, tenetur ingredi religionem, antequam consummet. n. 79. in fine.

Votum castitatis annexum ordini sacro obligat, licet suscipiens ordinem, non habuerit propositum seruandi. num. 50. & cap. 22. nu. 50. & quamuis habuisset propositum non se obligandi ad id, tamen ad id seruandum obligatur. cap. 22. num. 52.

Et si suscipiat ordinem per metum reuerentialem patris, posset aliquis doctus dicere, quod non obligatur: & saltem hoc erit iusta causa ad dispensandum. num. 51.

Votum ducendi vxorem de se non valet, neque obligat: secus in homine fragili. num. 43. §. 14. cap. 12.

De voto ingrediendi religionem non reformatam. vide tit. Religiosus II.

Qui vouet religionem, & non restringit votum ad hanc vel illam religionem, hoc vel illud monasterium: sed in genere, & absolute vouet, si non recipiatur in vna vel altera, tenetur aliam querere religionem, vel aliud monasterium. cap. 12. num. 46. §. 16.
licet

licet qui vouet, refutetur à Prouinciali, vel Generali, nisi iudicetur ineptus. in Nou. cap. 12. num. 62.

Qui vouit aliquam religionem, & non limitauit expresse vel tacite, ad hoc vel illud monasterium; si non recipiatur in propinquis, seu finitimis cœnobiis, tenetur ad remotiora externaque loca proficisci, vbi sit aliqua spes, quòd recipietur. num. 48.

Qui existens in Hispania, vouet ingredi religionem fratrum minorum Conuentualium, quæ post aliquot dies abrogata fuit, in vniuersa Hispania non tenetur querere monasterium, in quo recipiatur in locis vbi non est abrogata illa religio. cap. 27. num. 273.

Vouens certum monasterium, vel religionem, animo se obligandi ad continentiam, quamuis non admittatur, tenetur seruare continentiam: secus si caruit hac intentione, licet vouisset perseuerare, vel profiteri: vnde si non admittatur, poterit uxorem ducere. cap. 12. num. 47.

Qui vouit religionem, peccat contrahendo: poterit tamen petere debitum. ibidem. Quòd si fornicetur, vel adulteretur, non faciet contra votum. num. 80. in fine.

Qui vouit initiari sacris, licet peccet non adimplendo, non tamen tenetur ad officium diuinum: neque agit contra votum, si fornicetur.

etur.num.47.Vnde qui vouit intra annum
initiari sacris, si non initietur, non tenetur
etiam elapso anno ad diuinum officium.
ibidem.

Qui vouit solummodò ingressum reli-
gionis, satisfacit quidem voto, ac iuri com-
muni, ingrediendo sine dolo, sed bona fide,
vt experiatur, & probet vires suas. Quòd si
illa vitæ ratio ei displiceat, poterit si libeat
intra annum probationis exire, eo solo quòd
modus ille viuendi ei non placuit. numer.

47. §. 4.

Quòd si vouit perseverantiam, & profes-
sionem, non poterit liberè exire intra an-
num probationis: quamuis ei modus viuendi
displiceat, nisi post dispensationem impe-
trata, ex causa, quæ viro prudenti videatur
iusta. Ibidem.

Qui autem absolutè vouit esse religio-
sum, solum vouit ingressum. Nou.num. 47.
& 49.

Qui vouit strictiorem religionem, & la-
xiorē ingreditur, peccat, sed post profes-
sionem nō tenetur strictiorem intrare, antea
verò sic. cap. 12. num. 48.

Qui vouit religionem, si in nulla reci-
piatur, potest vxorem ducere. num. 48.

Ingressus religionis tunc nō requirit lon-
gum consilium, quando non sunt specialia
impe

impedimenta scilicet morbus, debita, &c. num. 49.

Votum factum ob metum ab intrinseco illatum, obligat, secus si metus sit ab extrinseco. num. 52.

Votum pueri factum per metum reuerentialem de ingredienda religione est nullum, etiam in foro exteriori. cap. 22. nu. 51.

Qui vouit perseverare in religione aliqua de laxioribus, tenetur in ea perseverare, nisi voluerit ad arctiorem transire. cap. 12. num. 53.

Qui vouit, dum vixerit, non bibere vinum, peccat mort. toties quoties bibit. Idem si promisit non bibere in tali die, peccat mortaliter toties quoties biberit in illo die. num. 53.

Qui vouit aliquid pro certo tempore, si non facit, peccat, & tenetur post illud tempus facere, nisi quando is qui vouit, respexit principaliter ad diem, vel tempus. num. 54.

Non est mortale pœnitere de voto facto. num. 54.

Qui absque dispensatione non adimplet votum, dubitans an debeat implere, peccat. ibidem.

Qui vouit, quod per se ipsum adimplere non potest, nec curat per alium adimpleri, peccat in duobus casibus. primò quando vo-
tum

votum ipsum saltem tacite ad id extenditur, vt votum opitulandi pugnantibus in terra sancta, extenditur ad ferendam operam per alium. Secundo, quando vouit id, quod nullo modo potest adimplere per se ipsum. Aliqui doctores addunt tertium, nempe, quando ex sua culpa factus est impotens ad adimplendum. Sed oppositum est verius. ibidem.

Heres tenetur implere vota realia defuncti, non personalia: mixta vero partim tenetur partim non. num. 56.

Votum defuncti non obligat heredem quoad obligationem personalem: sed ex vi contractus, & promissionis, vnde populus tenetur implere vota facta à suis prædecessoribus præterito tempore. num. 79.

Qui Castitatem vouit sine licentia alterius coniugis, eo mortuo tenetur seruare Castitatem. num. 60. Votum à coniuge factum, non vergens in præiudicium alterius, obligat: secus si vergat. num. 61.

Votum de peregrinando factum ab vxore sine licentia mariti, non obligat, si maritus repugnet, imò etiam emissum cum licentia, si postea contradicat ipse, non obligat: peccabit tamen contradicendo sine causa. ibidem.

Maritus non potest reuocare consensum quem

E E e

quem

quem adhibuit in votum continentia vxoris. ibidem.

Vxor, quæ cum esset soluta emisit aliqua vota, si iam nupta implere non possit absque præiudicio mariti, excusatur illo repugnante: eo tamen mortuo, tenetur adimplere. ibidem.

Votum succurrendi terræ sanctæ factum à marito cum licentia vxoris vel sine illa obligat. Idem si fiat ab vxore, & possit impleri sine periculo incontinentiæ. num. 62.

Vota religiosorum de materia non prohibita obligant, donec irritentur: licet prælati, ea non approbauerint: & licet religiosi sint impuberes. num. 67. & 69.

Vota religiosorum de rebus à superioribus prohibitis alias tamen licitis, non obligant donec Superior approbauerit. num. 67.

Vota religiosorum, vt non obligent, sufficit, quòd superior iubeat, ne faciant rem quam vouerunt, vel non sit factus certior de eo. num. 69.

Vota religiosorum semper intelliguntur fieri cum hac conditione, scilicet, si superior non contradixerit: & ex cõsequenti: salua voluntate summi Pontificis, qui est supremus omnium antistes. maior est enim potestas Papæ quoad hoc erga religiosos quam erga sæculares. cap. 12. num. 76.

Filius

Filius tenetur implere votum emissum à parente, implendum ab ipso filio, dummodo illud approbet animo se obligandi. num. 73.

Seruum obligant vota personalia, quæ non redundant in damnum domini. nu. 74.

Votum licitè potest non impleri, quando impletio est manifestè mala, inutilis, vel impeditiua maioris boni. num. 76.

Quid requiratur vt votum censeatur ratificatum, vide tit. *Votum VI.* de irritatione.

VOTVM IV.

Quis possit vouere.

SUBIECTVS aliquis non potest emit-
tere votum validum in eis, in quibus sub-
iicitur, absque eius cui subiectus est, consen-
su. cap. 12. num. 64.

Impuberes vrentes ratione possunt regu-
lariter emitte quæcumque vota, siue rea-
lia siue personalia. num. 68.

Et licet non possint se obligare voto so-
lemni religionis, etiam consentiente patre:
bene tamen voto simplici. ibidem.

Puberes possunt emitte vota persona-
lia, & tenentur adimplere, etiam viuentibus
parentibus vel tutoribus, dummodo non